

1570

Hieronymo
Zannio
classis im-
peratori ve-
xillum a
Principe
traditur.

Zannius
ad Jaderā
confidere
jussus.

Dum hæc geruntur , omnesque nervi cum ad bellum administrandum , tum ad foedus sanciendum intenduntur , Hieronymo Zannio , classis imperatori , in aurea divi Marci basilica , divino sacrificio peracto , incredibili frequentia ac plausu , personantibus circumquaque lætitiae vocibus , de more Republicæ vexillum a Principe traditur , qui per forum , Senatu comitante , deductus , prætoriam conscendens , concrepan- tium timpanorum , ac tubarum sonitu , nec non tormentorum boatu , quadraginta circiter stipatus triremibus , pulcher- rimum civitati spectaculum exhibuit ; quæ palatum , circum- jetasque publicas substructiones , nec non sinuatum ejus re- gionis tractum , qui a foro usque ad divi Blasii templum pro- tenditur , e quo in mare prospectus patet , compleverat . In- de e litore solvens , in Illyricum Senatus decreto , ut reliquis triremibus , quæ Jaderæ substiterant , se conjungeret , naviga- vit . Ab Jadera ne discederet , jussus , donec quinquaginta , quas subsidio Philippum missurum Patres sperabant , vela in orientem dedissent . Neque enim tutum existimabant , clas- sem nondum numero (adhuc enim complures in Creta deti- nebantur) hostili parem , in discrimen adducere ; ne , si forte in Turcicam incidisset , vel dubio marte dimicare , vel turpi- ter sese recipere cogeretur ; quorum illud periculi , hoc igno- miniæ plenum erat ; nilque adversum magis contingere pos- se videbatur , quam , male belli initiis auspicatis , militum im- petus obtundere , corporumque & animorum fortitudinem , torpore quodam injecto , prorsus restinguere .

Neque vero deerant , qui , ne copiæ otio marcescerent , aliquid in Illyrico tentandum arbitrabantur . At huic senten- tiæ id maxime obstabat , quod eo armorum motu verendum erat , ne ingenti hostium finitimorum numero lacerbito , in ea provincia belli sedes constitueretur , quod , vel ob nimiam urbi propinquitatem , vel ob Cypri distantiam maxime caven- dum erat ; cum præfertim in oppidis , atque urbibus , magna militum , atque equitum manu relicta , quod maxime Senatus exoptaverat , ut Philippi classe nostræ adjuncta , vel prælio decerneretur , vel ab invadenda Cypro hostes deterrentur , profici non posset . Multa quoque cum in Senatu de bello ad- ministrando disceptarentur , Patres in diversas sententias scin- de-